



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLVII. Christus hortatur ad Doctrinam & Perfectionem
Evangelicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

296 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

visionis & auditionis Beatitudinem participare deras, memento, quam multa, & præclara Virtutum Christi Ecclæsa videris, & adhuc videoas, præterim in Statu Religioso, & quam multa auditu perciperis: quæ si opere exequaris, in hac, & in altera vita Beatus eris.

Annotatio.

Hucusque series Evangelicæ Historiæ creditur esse certa. Sequens vero est solummodo probabilis.

MEDITATIO CCCXLVIII

*Christus hortatur ad Doctrinam
& Perfectionem Evangelicam.*

Matth. 11. v. 25.

PUNCTUM I. In illo tempore respondens IESVS dixi (S. Lucas c. 10. v. 21. ait: *In ipsa hora, quâ scilicet electi septuaginta duo Discipuli ad Christum ex Prædicatione reversi sunt*) *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus* (qui scilicet Mundo, & sibi per superbiam tales videbantur) *& revelasti ea parvulis.* Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11. v. 25. Ecce! Pater Cælestis laudatur à Christo, non tantum, quia Divina Mysteria revelavit parvulis, scilicet humilibus Apostolis, & plebeis hominibus; sed etiam, quia eadem abscondit à superbis Sapientibus, & prudentibus. Sic etiam B. Virgo in Cantico *Magnificat* Luc. 1. v. 52 laudat DEVM, quia *Depositum potentes de sede, & exaltavit Humiles.* Semper enim *DEVS superbis resipit; Humiliis.*

libus autem dat Gratiam. 1. Pet. 5. v. 5. & Jacobi 4. v. 6. Concinit etiam Psalmista Ps. 135. v. 6. **DEVS** Humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Et Christus ipse Luc. 18. v. 14. testatur: *Qui se exaltat, humiliabitur;* *& qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc cognosce, quantum Divinis favoribus obsit superbia, ac profit Humilitas; & quomodo Devs in hoc ipso laudandus sit, quoniam sic fuit placitum ante ipsum, cum superbis & Humilibus inæqualiter agere. Specialem autem rationem dat Christus Matth. loc. cit. v. 27. cur superbis Divina Mysteria de se, & de Patre suo Cælesti sint abscondita: quia, inquit, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius,* & cui voluerit Filius revelare. Id est; Nihil valet sapientia & prudentia humana ad cognoscendum Objecta Divina & Supernaturalia; ideo S. Paulus 2. Cor. 3. v. 5. scribit: *Quod non sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Hanc itaque insufficientiam proprij Intellectu quia superbi non agnoscunt, ideo relinquuntur in sua ignorantia: contra Humilibus, & de se non alta sapientibus revelantur Divina Mysteria. Attende, ne superbia etiam tibi causa sit, ut rariū Divinas Illustrationes accipias, & Divina sine gustu & fructu mediteris.

PUNCT. II. Ut Christus paratum se ostendat, quod velit Cælestia Mysteria revelare, & in suam Disciplinam omnes hactenus Mundo & peccatis serviientes recipere, his verbis illos invitat Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis (quibuscumque animi morbis) & onerati estis (quantalibet gravitate & onere peccatorum: vel qui labores & onera pro servitu te peccati & Mundi sustinetis) & Ego reficiam vos.*

T s

(perdi)

(perditas & fractas vires reparando medicamentis
& Solatijs Spiritualibus , leviusque jugum vobis im-
ponendo) *Tollite Jugum meum super vos* (Legem &
sciplinam Evangelicam) *Jugum enim meum suave est,*
onus meum leve. Peccatores enim & mundani homines
gravissimam servitutem serviunt pro fallacibus di-
vitijs , ac transitorijs voluptatibus ; & pro his maxi-
mas molestias , ac Conscientiae remorsus subeunt ; Let-
autem Evangelica , & Studium Perfectionis Christianae
Jugum quidem appellatur & onus ; sed per auxilium
Gratiæ , Quietem animi , & Solatia Spiritualia fit
Suave & leve. Compara itaque inter se Jugum
Christi , & Jugum , quod Diabolus ac Mundus Servis
suis imponunt , & videbis , istos longè graviora pati-
sine vero gaudio , lucro aut præmio ; immo cum magno
suo damno & interitu.

PUNCT. III. *Et discite à me : quia Mitis sum , & Hu-*
milis corde : & invenietis requiem Animabus vestris. Matth.
11. v. 29. Hæ duæ Virtutes , quando ex corde proce-
dunt , experientiâ docent , quâm suave sit Jugum
Christi , & leve onus , & quanta animus quiete ex illis
perfruatur. Vicissim expende , quas animi acerbities ,
tristitias , turbationes &c. patientur iracundi ,
& superbi.

MEDITATIO CCCXLIX.

Christus Legisperito se tentanti
respondet. Luc. 10. v. 25.

PUNCTUM I. *Et ecce quidam Legisperitus surrexit ,*
tentans illum , & dicens : Magister , quid faciendo Vitam
Eternam